

A. H. 147, 5<sup>a</sup>

(X2020871)

XLII.

Quo jure laus dicta  
Gorlicio congruat.



Quæ res Gorlicio nostro bene  
feliciterq; vortat!

G E M I N U M  
G O R L I C I I  
E N C O M I U M,

*quod,*  
prorsum alterum, alterum *vorsum,*

*in*  
Honorem Urbis Κεγοτερόφω

*à*  
duobus optumis  
AUGUSTI GYMNASII  
GORLICENSIS

Civibus,  
ANNO *clō lre* LXXV.

D. III. Apr.

*Horis pomeridianis,*  
publicè ἀπὸ τῆς πόλεως recitabitur,

*publicat*  
CHRISTIANUS FUNCCIUS,  
Gymnasiarcha Gort.



G O R L I C I

Typis CHRISTOPHORI ZIPPERI.



Audes & vituperia rebus non  
semper è meritò tribui notius  
est: quàm ut experientiam, cotidia-  
nam rerum Magistram, assertioni testem  
advocemus. Tribuitur certè per lu-  
fum ingenii laus non rarò rei abjectissimæ, imò &  
rei pessimæ, omnisq; laudis planè indigæ atq; indi-  
gnæ. Sic enim laudem Ululæ, avis sacrae inq; sum-  
mis deliciis ab Atheniensibus olim habitæ, ad Con-  
scriptos ululantium Patres ac Patronos, autore *Cur-  
tio Faële*, habemus. Habemus & Muscæ *Luciano*,  
Scarabæi *Dornavio*, Pulicis *Calcagninò* & *Gallissar-  
do*, Pediculi *Heinsio*, Podagræ *Pico Mirandulanò*,  
Ebrietatis *Bugoldianò*, Mendacii *Elia Majore* Auto-  
re Encomium. Et quæ non plura de hoc genere,  
cùm soluta, tum ligata, Encomia ac Elogia in *Am-  
phitheatro Sapiencia Socratica joco-seria*, in duos à  
*C. DORNAVIO* Tomos distributo, habentur?  
Nec minus & ipsissima Vitia, ut specie Virtutum in-  
cauti fallantur, seriò laudari exulcerato hoc Seculò  
solent. Ita namq; prodigalitas liberalitatis, ava-  
ritia parsimoniam, luxuries hilaritatis, levitas comita-  
tis, astutia prudentiam politicam nomine ac omine  
lauda-

laudatur. Contra ea gravitatem superbiæ, parsi-  
moniam avaritiæ, fortitudinem audaciæ titulò vi-  
tuperari non semel audimus. Legimus & Scholas, ut  
senum otiosorum ac desidiofæ juventutis Ambu-  
lacra; Academias, ut Lamiarum Lemurumq; Offici-  
nas, ab *HOBPIO* vituperatas. *Quæ unquam Scho-  
larum*, inquit Dæmonium illud Anglicanum, *fuit  
utilitas? quenam est ista scientia, quæ nostris tempo-  
ribus* ( Academicorum ) *sive prælectionibus, sive di-  
sputationibus acquiritur? Geometriam, scientiarum  
omnium matrem, Scholis non debemus: Philosophia  
naturalis* ( eorum ) *somnium est merum, vocibus iis  
descripta, quibus sensus non subest ullus: Moralis eo-  
rum Philosophia non nisi descriptio est affectuum suo-  
rum: Logica captiuncularum fasciculus verborumq;  
eò fine inventorum, ut intellectum implicent & supe-  
faciant.* Vituperatum à *CORN. AGRIPPA*  
omne Scientiarum atq; Artium genus, ut malum &  
à Dæmone in perniciem hominum repertum, legi-  
mus. Ne dicam: quòd novellus Chiliastra & Enthu-  
siasta *QV. KULMANNUS* in *Redivivo Bahmio*  
suo omnes Disciplinas, Artes ac Facultates, tan-  
quam Paganorum inventum, tripartitæ Babylonis  
nomine falsè traducat & exagitet. Verum enim ve-  
rò *GORLICIUM* nostrum suò semper meritò in

Hexapolitano Agro fuit decantatissimum, idq; hodi-  
dientum inter sex confederatas Lusatiae superioris  
Urbes tantum mihi caput efferre videtur:

*quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Dabitur proinde, L. B. veniam, vobis forte non mo-  
lestam, mihi gratam & acceptam: ut impraesentia-  
rum, dum iterum aliquid pro re nata scribere co-  
gor, *quò jure laus dicta GORLICIO nostro congru-  
at*, inquiram. Dum autem praecipue hoc quoq;  
sicut caetera, operæ pretium est cognoscere; ipsa ta-  
men laudandæ rei magnitudo aciem intentionis ab-  
rumpit: Ego equidem faciam, quod solent, qui  
terrarum situs pingunt, inq; brevi quasi tabellâ se-  
cundum praecipua, quæ urbibus inesse solent, GOR-  
LICIIUM describam, nonnihil, ut spero, ad laudem  
Urbis collaturus, si pariter atq; insimul universam  
dignitatem ejus & eminentiam ostendero.

Omniū rerum parva esse principia, hæc etiam  
Urbs nostra exemplo suo comprobat. Ibidem  
enim loci, ubi illa condi coepit, Pagus fuit  
cum tribus cauponis, **Drebenau** dictus, à Slavica  
voce *Drebo*, qua *lignum* appellatur. Etiam si autem  
tam strictè de anno conditæ Urbis inter omnes non-  
dum constet: auspex tamen tanquam conditi pri-  
mum GORLICII annus **Æræ Christianæ supra mil-**  
lesi-

lesimum centesimus trigesimus primus constanter,  
cum in quadam Inscriptione, quæ in Choro Tem-  
pli Cœnobialis extat, tum in manuscriptis Urbis An-  
nalibus, constituitur: estq; Vitus Lotharii è Saxon.  
Ducum familiâ Imperatoris, quò à Car. Magno  
vix alius quispiam majora per Italiam egisse fertur,  
Annus. Audiamus *Annales*, qui sic ferè: *Anno 1131.*  
*primò cœptum Gorlicium mœnibus, turribus, fossis mu-*  
*niri, auxiliò Sobeslai Ducis. Primum ejus nomen*  
*Eschorliæ fuit.* Sobeslaus nempe, in Lusatiam su-  
periores concedens, GORLICIUM, ut pleriq; alii  
volunt, condidit, vel, *Mylii* sententiâ, in ruinis vetu-  
stissimæ, sive villæ, sive munitiois *Drenovia*, instau-  
ravit: idq; *Myhoreliæ* / vel ut *Annales Gorl.* habent,  
*Eschorliæ* primum vocari voluit. Heneta hæc vox  
est. Quid autem ipsa significet, incertum nobis.  
Neutiquam tamen dubium: quin ex illa vetustâ  
loci appellatione recens postea nomen GORLICII,  
immutatò nonnihil διὰ τὸ ἑυφωρον sonò, deflexum  
fuerit. Nihilominus non improbanda *P. VIN-*  
*CENTII* est conjectura: qua GORLICIUM *Lusa-*  
*zia* seu *Elystorum montem atq; arcem* significare do-  
cet. *Gura* enim Linguâ Heneta *Mons* dicitur: un-  
de diminutivum *Gorca* Monticulus. Elysii autem  
apud *Tacitum*, fidelissimum Gentis nostræ præco-

nem, Lusati sunt aut Silesii. Quicquid sit: omnino è dictis patet, *GORLICIUM nostrum è vico pagum, è pago ante aliquot seculorum decursum factum esse urbem, sua temporis progressu augmenta cepisse, inquam, quàm hodieq; cernitur, magnitudinem pedetentim, paulatim, gradatim, ut ne quem saltum faceret, sed cum Natura per gradus incederet, excrevisse.* Postquam verò sic è parvis initiis felicissimè excrevit *GORLICIUM*, immensa commoda ex eadem urbe in Ecclesiam, in Politiam, addo & vitam communem, promanarunt. Cimelia id Urbis, Curia imprimis ac Schola, solstitiali Solis radiò clariùs ostendunt. Quid? Nonne è Gorlicensi Lycéo, velut ex equo Trojano levis armaturæ olim milites prodierant, Viri Magni prodierunt? Prodierunt utiq;: qui præessent Ecclesiis, qui admoverentur ad Reipubl. gubernacula, qui expedirent res aulicas, qui sanitati & vitæ hominis tuendæ velificarentur, quiq; rem bene curarent domesticam. Nonne & Curia disciplinæ civilis honestatem à tot retrò seculis suis suppeditavit civibus? Suppeditavit omnino, justitiâ quidem ad rigorem usq; pro ratione superiorum illorum temporum administratâ. Rigorem illum hoc ferè *Tetrasticho Æmilius ad Acontium & Pannonium* exprimit:

*Poste-*

*Postera Gorlicium lux nos traducet ad urbem,  
Legibus insignem iudicioq; locum.*

*Non alibi cives tam stricto jure tenentur:*

*Non alibi fontes tanta pericla manent.*

*Sape, levem tenui meruit qui crimine poenam,  
Vel cruce, vel rigido traditur ense neci.*

*Tanta viris gravitas, tanta est reverentia juris,  
Civibus heic tantum non licet esse malis.*

De polo & solo, quò utroq; nostrum gaudet  
GORLICIUM, quid dicam? Sanè non sufficit ad  
beatam civium vitam, populum bene institutum  
habere: nisi opportunitas urbis ea suppeditet, quæ  
ad usum vitæ tranquillæ sufficiunt. *In condendis  
urbibus, inquit HIPOLYTUS à COLLIBUS L. de In-  
crementis Urb. c. II. prima cura esse debet, ut locus  
saluberrimus eligatur; altera, ut fertilissimus; tertia,  
ut commodissimus, & ad negotiationes, & ad res  
bellicas.* Consistit ergo opportunitas situs maxi-  
mè in aëris salubritate: consistit in soli ubertate.  
Ecce autem GORLICIUM nostrum cœlo  
mollissimò gaudet, ac temperatò admodùm fruitur  
aëre, nec subpolaribus nimium, nec æquinoctiali-  
bus approximans. Longitudo ipsius est partium  
XXXII. Scrup. 30. latitudo partium LI. quibus in  
calculo suo quadrantem, h. e. 15. Scrup. addit Ma-  
the;

themanticus sui ævi celeberrimus *BARTHOL. SCUL-*  
*TETUS*. Urbem ipsam Dodecatemorio Cancrī  
subjicit *CARDANUS*, magni & ipse nominis Ma-  
thematicus, Schoneri Observationes fecutus. So-  
lum quod attinet: non ubiq; quidem in planiti-  
em est effusum; nec tamen in asperiores montes e-  
rigitur, ipsumq; ut puteis intra, ita fontibus extra  
Urbem luxuriat quamplurimis: superbit & longè  
lateq; ut hortis pomiferis, ita lætissimis pratis: su-  
perbit, ut fertilissimis agris, ita patentissimis cam-  
pis: collibus adhæc viridissimis superbit. Nec au-  
tem campi illi ac colles, quos urbs aspicit, tam pro-  
pinqui sunt, ut radios oculorum nimis cohibeant,  
ac veluti carcere constringant: neq; tam longè dif-  
fusi, ut prospectus nullis locorum terminis circum-  
scriptus per immensam vastitatem excurrat, nulloq;  
consistens locò hebetetur. Oculis namq; sat laxa-  
menti præbent, eosq; objectu suo terminant: ne  
latius circumjectorum acies evanescat. Urbi porrò  
non parvam lucem foenerat, qui juxta urbem

— — — *placidus prælabitur, Amnis*  
*Ingenti strepitu diffusus, marcida stagna*  
*Implens, prata rigans longè camposq; patentes,*  
*Piscibus ipse onerans squamosis retia tensa,*

*Et*



*Et septem gemini velocia flumina Nili*

*Vincens, cum Rheno pariter pro munere certans.*

Lucem eidem foenerat Mons vicinus: qui *Corona Regionis* dictus, ostendit locum hunc jam olim fuisse celebrem, præq; cæteris cultum magis & habitatum seu munitum. Foenerat & lucem Urbi *Cenotaphium*: quod, ut fidem Historiæ Passionis ac Resurrectionis Dominicæ rudi popello confirmaret, ad exemplar sacri Sepulcri, Hierosolymis coràm à se visi, perq; associatum Architectum delineati, in suburbanis Gorlicensibus magnis impensis **GEORG. EMERICUS**, Consul deinceps creatus, & *Rex Gorlicensis* vulgò nuncupatus, condidit. Lucem Urbi *Via regia* foenerat: quam è concessione *Caroli IV.* qui tum temporis Rex Bohemiæ erat, habet. Foenerant & Urbi lucem *Privilegia*: quæ aureis munita bullis in Curia asservantur. Plurimam verò lucem Gorlicio nostro *Ædes Petrina* foenerat, stupendum LXXIV. Annorum opus, opus magnificentissimum,

— — *cui par non est sub Sole, priusq;*

*A populo visum esse nec ullis fertur in oris.*

Ita namq; de illo elegantissimus olim Poëta **VALENT. POLIDAMUS** non minùs verè quàm

B

scitè

Et

citè ac politè politissimò de laude ac cultu urbis  
Gorlicensis Carmine, altiori & ipse cothurno in-  
cedens, canit:

*Barbara nunc sileant veteris Delubra Diana,  
Tanto Pyramidum miracula Memphis honore  
Nec laudet, nec continui Babylona labores  
Factent, dissimuletq; DEUM sacra cornibus ara.  
Ipsam sidereum Amphitheatrum, altumq; Colossum  
Laudibus immodicis populus Romanus in astra  
Nec ferat; Et nec Mausolea Ægyptia tellus.  
Verùm pro cunctis hoc Templum fama loquatur:  
Gorlicio Templo nec habet Germania Templum  
Æquale: Hesperius nec possidet incola tale:  
Gallia nec pugnax, divesq; Britannia nusquam,  
Vastaq; terra Juba, bellacis Punica Regna  
Hannibalis, tumido circumfluis Orbis Ibero  
Nigris cum Æthiopum populis Ægyptia rura:  
Et stulti Judæa DEI, belloq; potentes  
Eniochi, Æmatbii campi, Pharsalica tellus,  
Et dites Cilices, populiq; utraq; vagantes  
Armeniâ vastâ, Nabathæaq; regna, Libanus  
Immanis, Latiis infestus Cantaber oris:  
Quicquid Templorum in Borea, vel quicquid in Euro,  
Quicquidve in Sephiro, pluvioso quicquid in Austro,  
Exce-*

*Excedit lepidò Templo mundi omnia templa*

*Gorlicium, urbs claras inter laudabilis urbes.*

Conferte jam nunc mihi, si placet, L. B. oppidula  
& gurgustiola, tranquillissima licet, licet & pacatissima: falsus sim, ni locum hunc amplissimum  
fortunarum sedem vobis prætuleritis. Sacro equidem splendorem ac dignitatem Urbis, quâ veluti  
lumen majus minora obfuscât, silentiò veneror, & utilitatem tantum, quâ metimur omnia, ponderandam  
altiùsq; excutiendam Vobis relinquo. Nonne enim major in ejusmodi urbibus securitas? Nonne largior  
rerum omnium, quocunq; necessitatis emergente casu, sufficientia? Nonne facilior, tot manibus  
invicem lavantibus, victum & amictum parandi ratio? Nonne frequentius cum Viris literatis  
commercium? Nonne civilior conversatio? Esto autem: quòd inter Lusatiaè Sup. Urbes unò vel alterò  
axiomate GORLICIUM nostrum antecât Budisina, quòd antecât Zittavia: tot tamen in illo concurrunt  
axiomata, ut, si conjunctim, non divisim sumantur omnia, quòd GORLICIUM reliquis sibi  
confœderatis opponere possit urbibus, abundè satis inveniat. Non evagabor heic extra Lusatiaè nostræ  
fines ad Silesios, vel ad Bohemos conterminos, vel ad paulò remotiores Austriacos, urbesq; ipsorum

nobiliore; Provinciæ Coronam & qv. Silesiæ Sile-  
siam *V Vratislaviam*; Reginam Urbium, Regni Ca-  
put, totiusq; Bohem. quoddam qv. Compendium  
*Pragam*; Christiani Orbis Clavem *Viennam* addu-  
cam. Nec enim quicquam GORLICIO nostro  
deest: de quo gloriari, superbire ac triumphare non  
possit. Rem ut latiore, quod ajunt, filo per partes  
diducam, superforanei laboris esse duco. Perinde  
enim foret: ac si in Sole positis facem præferrem, &  
accensu luminum claritudinem diei adjuvare gesti-  
rem. Quid? quòd & actum agere viderer: si pom-  
posò verborum circuitu inclytum GORLICIUM  
per partes *πρὸς τὰ ἔσχατα* heic extollerem, mul-  
tisq; sermonum lenociniis ac fucis applausum mi-  
hi aucuparer. Certè enim, si Curiam, si Templam, si  
Coenobium, si Turres, si Propugnacula, si Moenia,  
si Ædificia, si Hortos, si Agros, & cætera, quæ intra  
& extra urbem in oculos se longè lateq; insinuant,  
cum voluptate intueamur, coelò ipsò, qvum sudum  
est, clariùs patefcit: *palmarem hanc optimo jure lau-  
dem GORLICIO nostro congruere, ut cæterarum in  
Hexapolitano Agro urbium præstantissima putetur, &  
stumetur, salutetur.* Eò magis autem hac sua lau-  
de dignum nostrum est GORLICIUM: quòd beni-  
gniùs hospitalem suam in Musas pauperiores Pieta-  
tem

tem per hoc Seculum, & liberalibus Hospitiis, & liberalibus Mensis, probavit, eandemq; hodiernum probat & exercet. Magnum, me-Christe, beneficium: quod, nisi extremè impius, meritò quilibet grato pioq; agnoscit ac deprædicat animò. Etenim, absq; illo si esset, multi optimi commatis adolescentes, quorum operâ Ecclesiæ aliquando, Curia, Scholæ, Familiæ felicissimè hinc inde usuræ essent, vix inglorii Cerdones, aut ignobiles evaderent Scrutarii. Parentes siquidem non rarò tenuioris sunt sortis; sunt & multi alii inferioris conditionis: ita ut filiis ad studia sepositis de victu satis commodè prospicere nequeant. Atq; hinc miselli illi, quàm vehementer etiam amore literarum flagrent, nuncium remittere cogerentur studiis: nisi Hospes ἀπὸ μηχανῆς intercederet, qui, pauper-tinam sortem benignitate sua sublevaturus, tecto, mensâ, imò quandoq; etiam veste Musas illas egen-tiores sustentaret. Maestum itaq; hac tua, ò GOR-LICIUM, esto hospitalitate, & porrò JESU CHRI- STO mutuò largiendo futuris Ecclesiæ ac Politia Christianæ Organis dare ne gravator! Nihil certè magis commodo tuo dabis: quàm quod piè con-tuleris alieno. Non enim sterilis hujus generis est pecunia: sed, si quæ alia, sumptum suum egregiè

exercet. Ne dicam: quòd sanctam hanc liberali-  
tatem non pauci dignè agnoscant: tum animis gra-  
tissimis hinc inde prædicent: imò pro temporum  
ac fortunarum conditione olim refundere studeant.  
Et quanquam nec pauci ingrati reperiantur cuculi,  
qui, insigne hoc beneficium nunquam suo fat mo-  
dulo dimensi, hospitalitatis tesseram frangunt, neq;  
exclamare cum illa nequam liberta quicquam ve-  
rentur, *vapula Papiria!* non tamen immanis hæc  
malitia iis, in quibus quæstus est, quod sumitur,  
præjudicare debet. Sunt, sunt boni, sunt grati hospi-  
tes: inq; his hodie est Ornatissimus Adolefcens,

**FLORIANUS Klepperbein / Saganò - Sil.**

major natus *Viri oppidò Reverendi Clarissimiq;  
DNI M. FLORIANI Klepperbeins / Eccles. Evang.  
Ante-Globov. Ministri vigilantissimi, Amici & Fau-  
toris nostri pl. suspiciendi*, filius. Is enim, postea-  
quam non tantum per quadriennium in gremio  
tuo, ò inclytum GORLICIUM, tutus recubuit,  
sedulam Nisfiacis Musis operam navaturus, sed &  
hospitiò tenus hac liberali, ut optimo Domino Pa-  
renti sumptus levaret, fruitus est, agnoscit hodie  
tuam hanc facilitatem æq; ac liberalitatem: ipseq; ex  
Præcepto Hesiodio eadem mensurâ utramq; aut lar-  
giùs quoq; rependere in votis habet. Bonam verò ist-  
hanc

hanc mentem ut bonus, pius, probus ac modestus  
Juvenis Tibi probet: ecce ille cras, θεῶν διδόντῳ, ἔ  
*Senatu* nostro *Scholast.* in quo laudabiliter locum  
auscultando, legendo, scribendo, perorando, dispu-  
tando meruit, proximus ipse à *Pratore*, prodibit,  
atq; illicò perorantium *Cathedram* conscendet, tuum  
ex prompta memoriâ in *prorsâ*, suo Marte conscri-  
ptum, ENCOMIUM recitaturus, tandemq; quum  
in *Almam Leucoréam* meditetur abitum, grato ore  
ac pectore *ultimum Vale* dicturus. Huic, ne solus,  
ipseq; *peregrinus*, in deprædicandas laudes tuas de-  
scendat, junget se ex inferioribus *Primanis*, nec tamen  
inferior, imò suis in divinâ *Poësi* profectibus propè  
par superioribus, *Juvenis bonæ spei*, ἔ *Civibus tuis*  
*prognatus*, focium

### MELCHIOR Beyer/

tuum quoq; sed in *vorsâ* (mille nempe Versibus  
Heroicis, domi natis) recitaturus ENCOMIUM, idq;  
hoc quidem ordine facturus: ut tuus non tantum  
*ortus, progressus, rerum affluxus, agrorum ἔ hortorum*  
*proventus, totius structura ornatus cum hodierno*  
*rerum tuarum statu* memoretur; sed & Viri, qui  
*Spartam suam in Curia, in Ecclesia, in Schola* egre-  
giè hodie ornant, nominentur, celebrentur.

Habes,

40  
103  
91

Habes, *Inclutum GORLICIUM*, occasionem, eamq; geminam, & quâ nata ac data natum, quicquid in laudem tuam sub Schemate *Aphthoniana Descriptionis* hodie scripsi. Plura sanè scripsissem, scripsissem & ipse prolixius: nî vidissem, satis copiosè laudes tuas laudatos Juvenes dicturos esse. Quapropter, quod unum superest, tuos nunc *Conscriptos Patres*, tuos *litteratos Cives*, & quotquot te *Eruditione suâ ornant*, honorificè ac peramanter rogatos volo: ut *die Crastini, horâ post Meridiem Imâ* auditâ, frequentes auscultatum veniant. Venite, quæso, *Gorlicenses Patres: venite Gorlicenses Cives: venite Gorlicenses Inquilini: venite Gorlicenses hodie ab Hungariâ Exules: venite Gorlicenses Studiosi. Viri Nobiliss. Ampliss. Consultiss. Prudentiss. pl. Reverendi, Excellentiss. Experientiss. Clariss. Præstantiss. Spectatissimi*, quotquot nuper non potuistis, non voluistis, venite. Venite omnes, si possitis, venite singuli, si velitis, unum dempturi curis vestris bihorium, atq; geminum *GORLICII* nostri, idq; verissimum, patulis aurbus & attentis mentibus audite *ENCOMIUM*. Næ enim neq; Vos tantum temporis auditioni, neq; me tantum chartæ scripti-  
oni huic dedisse pœnitebit. Interim verò, dum vos lecturos æq; ac venturos de promptissima paratissimaq; officiorum nostrorum qualium qualium ἀνταρραμοισβῆν securos esse jubeo, DEUM calidis, quibus capiendis pares mentis meæ esse possunt angustia, suspiriis invoco: ut tot tantaq; beneficia, tam largo sinu per integra sex secula in inclutam hanc Urbem collata, non incolis tantum Urbis, sed & toti Regioni velit esse perpetua. Obumbret misericordiae suae alis celeberrimam hanc Rempubl. aras & focos, gubernantes & parentes, maximos, minimos, aureamq; nobis, proximo jamjam ardente Ucalegonte, conservet pacem! Quod ut fiat, ipseq; DEUS tempora hæc difficilissima emendet, Vitam nostram pœnitiâ non fucatâ prius emendemus!

P. P. Gorlicii Anno

1675. 2. Apr.

201



A.H. 147, 5<sup>a</sup>

Qua

G

EN

pror/

A



CHRIS

Typis

laus dicta  
ingruat.  
bene



II

A,

cura,

I



CCIUS,

ERI.

